



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. IV. Vtrùm teneamur aliquando amare proximum actu interno?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

tis, accitendo in se spem æternæ felicitatis ac timorem inferni, aut similitatione possit eas tentationes superare & victor euadere; tamen si tepidè hac in re agat, exponet se grauissimo periculo æternæ damnationis: quod in eo casu omnibus modis tenetur vitare, & viam quantum potest securissimam eligere, omnibus quibus potest modis se Deo suo perfectissimè vniendo, quod fit per actus caritatis. Adde, hos actus esse vtilissimos ad impetrandam diuinam gratiam, tunc homini maximè necessariam.

53 **CONCLUSIO IV.** Valdè probabile est hominem diu viucentem extra dictos casus adhuc sæpius per se teneat elicere actum caritatis; ita vt grauiter peccet si sciens sponte sue aduertente id valdè diu differat. Hic etiam videtur ferè communis sensus Doctorum paucis exceptis; & quamuis non possit præcisè definiri tempus intra quod talis sub mortali tenetur actum caritatis elicere; tamen videtur omnino mortaliter peccaturus, si illud ad tres aut quatuor annos sponte differat. Probatur Primò, quia secundum moralem æstimationem videtur includere quendam contemptum diuinæ amicitiae, si quis in finitam bonitatem à qua ita amatur, tanto tempore sponte negligat redamare. Secundò, quia qui ita negligens est in amando Deo, vix fieri potest vt diuinam amicitiam tanti faciat, eamque ita colat ac contendat conseruare, sicuti tenetur & omnino necessarium est ne ea excidat: qui enim tam tepidè Deo seruit, facile data occasione eius cultum deserit.

54 **CONCLUSIO V.** Extra hos casus sæpè potest contingere, vt homo per accidens teneatur elicere actum caritatis. Primò, quoties tenetur conteri, vt si conscius sibi peccati mortalis teneatur solemniter administrare aliquod Sacramentum, nec possit confiteri alijsq; casibus, quos retuli ro. 2. de Sacram. disp. 3. dub. 3. initio. Ratio est, quia, vt ibidem respondit disp. 2. dub. 6. conclus. 1. fieri nequit vt peccator eliciat veram contritionem sine formali actu caritatis. Secundò, quoties quis credit id hic & nunc esse necessarium ad vincendam aliquam grauem tentationem; aut vt sufficienter animum comparet ad aggrediendum aliquod opus heroicū, quod iam aggredi tenetur, aut similes ob causas. Probatur Primò, quia, etsi cum tunc elicere actum caritatis non esset verè à parte rei medium hic & nunc necessarium ad illos fines obtinendos; tamen hoc ipso quò ille putat id ita esse necessarium, ad illud obligatur, quamdiu in ea opinione manet, ne alias peccet contra conscientiam.

55 Secundò, quia sæpè potest contingere, vt illud sit verè medium necessarium ad dictos fines obtinendos: idque vel ob eius dispositionem, qui alijs vijs non sit fortasse sufficienter excitandus vt tentationem superet aut opus illud constanter aggrediatur, vel etiam quia alia via non est à Deo impetraturus eas gratias, quibus indiget vt eos fines de facto obtineat. Et si enim Deus nobis in necessitate non desit suam gratiam subministrando, tamen sæpè vt det nobis gratias maiores, & quas videt habituras effectum, requirit vt eas certis rationibus

conemur impetrare: quas si ex negligentia omitteremus, dar nobis minores, quibus etsi absolute possemus hoc vel illud perficere; tamè non nisi difficillimè id ita possemus, ideoque non sumus de facto perfecturi.

D V B I V M I V.

Vtrum teneamur aliquando amare proximum actu interno?

NOta nos dupliciter posse ad hoc obligari. Primò, præcisè ex virtute caritatis. Secundò, ex alia particulari virtute, v. c. ex pietate aut gratitudine. Et satis clarum est, nos hac ratione obligari quandoque vt alios amemus aliquo actu interno. Quia in humanum omnino & contra pietatem parentibus debitam videtur, si filius suos parentes nullo vnquam vero amoris affectu prosequatur. Hinc Apostolus ad Roman. inter alia grauissima vitia, quibus olim Gentiles laborabant, vocat eos *sine affectione*, græcè *ἀσπύς*; quod iuncto *α.* priuatio descendit à *σπύς*, quod proprie significat amorem filiorum in parentes: atque ita *ἀσπύς* dicitur qui hoc amore caret. Et simili ratione is, qui valdè ab alio amatur, & ab eo magna beneficia accepit, videtur ex gratitudine obligati non solum vt exterius se gratum ostendat, sed etiam vt interno affectu eum amet; hoc enim exigit illa beneuolentia, qua altereum prosequitur. Confirmatur, quia si illi scirent se ab his verè interiorius non amari, ægerimè id ferrent, & æstimarent id cedere in sui contemptum, idque secundum commune omnium iudicium, merito facerent: quod verum non esset, si illi non teneantur eos ita amare.

Quantum autem & quoties tam filij parentes, quam beneficiati suos benefactores teneantur interno amore prosequi, non est facile definire, nisi quod in genere dici potest Primò, hic multò grauiorem esse obligationem filij erga parentem, quam beneficiati erga benefactorem; ob varias causas quas adferam disput. sequenti dub. 9. Secundò, quando abest omne odium & animi auersio, & filius parenti, & beneficiatus benefactori exterius omnia officijs debita præstant, non esse multum laborandum de interno affectu; quia in hoc casu moraliter vix fieri potest, vt hic saltem notabiliter desit.

Ex his proportionaliter potest colligi quæ affectum inferiores debeant suis Superioribus, vxores maritis, &c. aut etiam contra parentes suis filijs, Superiores suis inferioribus, mariti vxoribus, &c. hæc enim spectanda sunt maximè ex officijs, quæ sibi mutuo tenentur præstare, de quibus agemus disp. sequenti. hic autem solum agimus de priore obligatione, quæ oritur præcisè ex virtute caritatis.

Illigitur, qui, vt ostendi hu. 25. putant non esse specialem obligationem diligendi Deum actu interno; multò magis id dicunt de dilectione proximi, atque adeò secundum eos caritas per se solum nos obligat. Primò, ad abstinentiam ab omni proximi odio; alijsque rebus quæ ei

ei possunt aliqua ratione nocere. & Secundò, ut occurrente necessitate aliqua occasione exhibeamus ei externa officia, quæ ei ex caritate tenemur exhibere. Ad internum vero affectum non aliter nos obligat, quam quatenus hic est necessarius vili exhibeamus: ad quod non est necessarius vilius verus actus caritatis erga proximum, cum ex alijs pluribus finibus non malis possimus ea proximo exhibere.

59 *Matth. 7.* Prob. Primò, quia Christus *Matth. 7.* explicans qua ratione debeamus proximum diligere, ait: *Omnia ergo quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: hac est enim lex & Prophetæ.* Ac si dicat, Hoc faciendo implebitis totam legem circa dilectionem proximi. vnde D. Bernard. *Bernard.* *serm. 50. in Cantica,* ait: *An non denique satis tibi esse iudices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfecte obserues in quo omni homini rectè de lege naturæ prescribitur: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & item illud, Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis?*

60 *1. Iohan. 3.* Secundò, quia S. Iohannes *epist. 1. c. 3.* explicans qua ratione debeamus proximum diligere, ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habentem, & clausit visceribus suis ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Quibus locis tam Scriptura, quam S. Bernardus totam obligationem diligendi proximum & veram rationem caritatis ponunt in externo opere.

Nec refert quòd S. Bernardus verbis suprà recitatis subiungat: *Neque hoc dico ut sine affectione finis, &c.* quia videtur loqui de affectione in Deum, aut de ea, quæ necessaria est, ut opera externa faciamus: ut patet ex sequentibus.

61 *Caritas solū imperat dilectionem proximi quatenus in eius bonum cedit.* Tertiò, quia spectando præcisè præceptum caritatis, non tenemur aliquè diligere, nisi quatenus id in ipsius bonum aliquo modo cedit (nullatenim videtur ratio cur alicui teneamur amorem aliud officium impendere, si id nullo modo in ipsius bonum cedit): atque, etsi amor merè interius possit aliquo modo cedere in bonum & cultum Dei, qui cum immediatè in se intuetur, non videtur tamen posse cedere in bonum hominis, nisi ratione actus externi; quia solum ratione huius & nullo modo secundum se præcisè potest ab homine percipi: ergo non aliter teneor proximum amare, quam quatenus id est necessarium ad exhibendos ei actus externos ipsi debitos.

62 *Confirm. Primò,* quia nec teneor amore interno amare omnes homines in consilio; hoc enim videtur inutile, quia non possum præstare aliqua beneficia saltem quæ sint magni momenti hominibus in genere sumptis: neque etià teneor ita singulos amare in particulari, quia hoc est impossibile: neque etià speciatim aliquos in particulari, quia nulla est ratio cur hos potius quam illos teneamur ita amare: nisi fortè, ut dixi n. 56. ad id oblige ex aliqua particulari virtute: de quo casu hic non agimus. Quare etsi parentibus & quibusdā alijs ex pietate aut gratitudine teneamur exhibere etià internum affectum, quia nimirum hic est cōmuniter necessarius, ut debet ijs exhibere particularia officia, quæ ijs debeo; tamen

Coninck de act. supernat.

secus videtur de alijs hominibus, quibus non teneor exhibere particularia officia, nisi fortè per accidens ratione occurrentis necessitatis, quo casu ea ex alia virtute possū facile exhibere.

Cōfirmatur Secundò, quia, ut insinuat S. Iohannes citatus n. 60 & docet D. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. non tenemur ex virtute caritatis proximum particulari affectu diligere, nisi ratione occurrentis necessitatis; & cōsequenter quatenus hac id exigit: atqui huic potest occurrere per externam beneficentiam sine actu interno caritatis: ergo hic non est necessarius.

Cōmunior tamen Doctorum sententia est, nos etiam ex caritate teneri diligere proximum, ut patet ex Auctoribus citatis suprà n. 25. qui id fecerunt omnes ibidè aut expresse docent, aut clare insinuant. Et probant Primò, quia Christus cum *Matth. 22.* attulisset primum mandatum, scilicet, *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* subiunxit: *Secundum autem est simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum:* atqui Deum tenemur diligere actu interno: ergo etiam proximum. Et *Iohannis 15.* ait: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos:* atqui ipse nos dilexit vero actu caritatis interno: ergo etiam sic debemus nos mutuo diligere. Similiter S. Iohannes *epistola 1. cap. 4.* ait: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum,* scilicet simili caritate. *Confirm. quia D. August. 1. 8. de Trinitate cap. 7.* aperte docet, nos eadem caritate diligere Deum & proximum: quod verum non esset, si vna esset solum externa, alia interna.

Sed hæc argumenta non videntur id quod intendunt satis euincere. Ad loca enim Scripturæ facile responderi posset, in illis solum probari esse verum præceptum, quo iubemur diligere proximum; & hoc esse simile illi præcepto, quo iubemur diligere Deum: quia scilicet utrumque est iuris naturæ & diuini, & virtute continet omnia officia erga Deum & proximum exhibenda: ex quo non sequitur, erga Deum & proximum similem dilectionem præcipi, sed solum erga utroque eam dilectionem præcipi, quæ utriusque convenit, & ad bonum ijs conveniens procurandum est necessaria: iuxta dicta n. 61.

Ad Augustinum Respondeo, si aliquid probaret, probaret eandem esse dilectionem qua diligimus proximum, & qua Deus nos diligit: solum itaq; vult has tres dilectiones, scilicet Dei erga nos, & nostram erga Deum & proximum, convenire in genere, & in consilio in ratione dilectionis, ut dixi disp. 21. n. 6.

Pro resolutione Nota ex dictis dub. 1. me dupliciter posse diligere proximum. Primò, amore distincto ab eo quo diligo Deum, & qui habeat veram rationem amicitiae erga proximum. Secundò, eodem amore quo diligo Deum, qui respectu Dei sit amor amicitiae, respectu proximi amor concupiscentiae. Quod rursum dupliciter fieri potest. Primò, ut amor meus explicite se extendat ad proximum, ut cum explicite opto ei beatitudinem aliaque bona ad hanc conducere, quatenus hæc conducunt ad gloriam Dei, & sunt quoddam bonum ipsius Dei. Secundò, ut meus amor solum implicite proximum respiciat;

S s

ciat; hoc ipso enim, quo Deū super omnia amo, ei que in genere omne bonum opto, & in omnibus placere, & ipsi placita pro viribus procurare cupio, implicite opto proximo salutem eternam, aliaque bona ad hanc consequendam ei necessaria, & exhibeo me paratum ut data occasione ea procurem, quatenus hæc sunt etiam quoddam bonum Dei ei que placent, & hac ratione omnis vera & efficax dilectio Dei est etiam vera dilectio proximi.

66 **CONCLUSIO I.** Tenemur proximū ultimo modo aliquando ex caritate vero interno actu diligere. Pater, quia, ut ostendi dub. præced. tenemur aliquando actu interno diligere Deum: omnis autem vera dilectio Dei est dicto modo etiam dilectio proximi.

67 **CONCLUSIO II.** Spectata præcisè virtute caritatis valde probabile est nos non teneri per se unquam vero actu caritatis interno diligere proximum, nisi eo modo quem in prima conclus. explicui: alijs verò duobus modis supra n. 65. recensitis solum obligamur quandoque per accidens diligere proximum, quatenus id quodque est necessarium ut aliqua bona ei procuremus. Ita Scotus in 3. dist. 30. §. *Quantū ad hoc*. circa medium: ubi docet nos non teneri explicite diligere proximū. & Lorca 2.2. sect. 3. disp. 58. n. 10. & videtur aperta sententia D. Thomæ 2.2. q. 25. a. 8. in corpore. Vbi ait nos ex caritate non obligari speciali motu dilectionis amare inimicum, sed sufficere nos animo ita paratos esse, ut eum specialiter diligamus, quando necessitas occurrit: quod sufficere fit per dictum actum dilectionis Dei. Quātum autem est præcisè ex virtute caritatis, non tenemur aliter diligere alios proximos, quam inimicos, nisi in ijs occurrat specialis ratio diligendi.

Prior pars concl. probatur Primò, argumētis allatis nu. 59. & seqq. quæ hanc sententiā videntur satis clarè probare, nec militant vllō modo contra nostram primam conclusionem.

68 Secundò, quia omnia loca Scripturæ ac Patrum, quæ præcipiunt aut docent præceptam esse dilectionem proximi, possunt intelligi de hac implicita dilectione, quatenus efficaciter mouet nostram voluntatem ut proximo data occasione externa amoris signa exhibeamus, ut patet ex dictis n. 59. 60. & 64. imò dicta loca videntur expresse de hac dilectione loqui; nam eam omnino confundunt cum dilectione Dei, & tanquam secundum se ab ea omnino inseparabilem, & solum distinctam ratione actuum externorum, qui immediate circa proximum versantur. ut patet ex dictis locis citatis, & ex toto c. 3. & 4. epist. 1. S. Iohannis.

Tertiò, quia, ut ostendi n. 61. & colligitur ex D. Thoma citato num. 67. amor proximi nobis solum præcipitur quatenus est necessarius ut efficiat animum nostrum paratum ut ei in omni necessitate succurramus, ipsiusque bonum data occasione promoueamus: atqui hoc sufficienter fit per ipsius amorem iam explicatum: ergo hic sufficit.

69 **Secunda pars probatur.** Quia cum sæpè sit necessarium, ut ei aliqua bona procuremus, etiam necessarium est ut ea ipsi velimus; &

quamuis per se loquendo non sit communiter necessarium ut ea ipsi velimus ex virtute caritatis erga ipsum aut erga Deum, cum possimus ea ipsi velle ex alia virtute; tamen in multis actionibus id vix modo connaturali fieri potest, nisi ex aliquo amore amicitie erga Deum vel proximum; ut cum tenemur pro ipsius salute eterna orare, præsertim pro ijs, qui nobis coniuncti non sunt. Ad hæc enim aliaque similia caritatis externa opera exercenda, vix possumus efficaciter excitari nisi ex explicito proximi amore, quo eum vel propter Deum vel propter se amamus. Ex alio etiam capite quandoque eiusmodi amoris actus posset omnino esse necessarius, scilicet ratione alicuius difficultatis quæ in exercendis eiusmodi operibus sæpè occurrit ex aliqua auersione erga proximum, aut inordinato nostro affectu, præsertim quando cum aliquo nostro incommodo ea exercenda sunt, quo casu fieri potest ut non possimus aliter sufficienter nos excitare ut proximo procuremus ea bona, quæ ei tenemur procurare; nisi in nobis prius excitando aliquem explicitum erga eum amorem.

DVBIUM V.

Utrum & quo iure teneamur diligere inimicos?

D. Thomas 2.2. q. 25. ar. 8. & 9. docet Primò, 70 nos debere amare inimicos non quatenus sunt nobis inimici siue à nobis auersi (quia sic amaremus eorum peccatum), sed quatenus sunt homines eiusdem nobiscum naturæ & eiusdem gloriæ capaces; sicut alios proximos amamus. Secundò, docet, nos communiter & per se loquendo non teneri eos singulari beneuolentiæ affectu prosequi, nullo tamen modo posse eos excludere à generali affectu ac beneficijs, quibus generatim omnes alios homines aut aliquam communitatem, cuius ipsi sunt pars, prosequimur. Docet Tertiò, nos quibusdam circumstantijs teneri singularia ijs beneficia exhibere. Quæ ut clariora sint titia nobis hic explicanda restant. Primū, quo iure teneamur diligere inimicos; Secundū, quomodo teneamur eos diligere; Tertiū, an in lege veteri fuerit licitum odisse inimicos. Hæc agemus de solo primo; de alijs, dubijs sequentibus.

Quidam igitur apud Magistrum in 3. d. 3. circa finem putant solis perfectis esse præceptum diligere inimicos; minus perfectis verò id solum esse in consilio, atque adeo hos solum teneri diligere eos à quibus nihil mali passi sunt, & inimicos non odisse. Mouentur præcipue quibusdam verbis D. Augustini in Enchiridio cap. 73. infra citandis. Sed hi nullo modo loquuntur consequenter; nam etsi perfecti multa faciant, quæ non faciunt, imò nec facere possunt imperfecti, quamdiu manent tales; tamen secluso omni voto similitudinis particulari obligatione, illi non obligantur ad plura quam hi: nec D. Augustinus loco citato his quidquam contrarium vllō modo insinuat.

CONCLUSIO. In omni lege, scilicet euangelica, veteri, & naturæ, nobis præcepta est dilectio inimico-

Tenemur proximum actu interno diligere: non tamè distincto ab eo, quo Deum diligimus.

Scotus.

Lorca.

D. Thomas.

Ex virtute caritatis præcisè non tenemur aliter diligere non inimicos, quam inimicos.

Qua ratione per accidens est necessaria